

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius SS.  
Theol. D. P. P. & Superint. Ad Exequias, Quas ... puerulo ... Hieronymo Kochen,  
Parentes Moestissimi Hodie hora prima in templo Jacobaeo paratas cupiunt,  
Omnes omnium ordinum Cives Academicos peramanter & sedulo invitat**

Rostochii: Kilius, 1656


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77191959X>

Druck Freier  Zugang




Mauritius, C.,  
in H. Koch.

R. 1656.







PROGRAMMA

Quo

RECTOR UNIVERSITATIS  
ROSTOCHIENSIS

CASPARUS MAVRITIUS

Theol. D. P. P. & Superint.

Ad Exequias,

Quas

*Bonæ spei puerulo,  
Filio dilectissimo,*

HIERONYMO  
KOCHEN,

PARENTES MOESTISSIMI

*Hodie hora prima in templo Jacobæ  
paratas cupiunt,*

Omne studium ordinum Cives Academi-  
cos perscrupulose & sedulo invitat.



§ (o) §



ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII  
Acad. Typogr. Anno 1656.



Non sacræ tantum literæ, sed profani quoq; Authores mortem somno comparant. Cato Major dicere solebat, *nihil tam esse, morti simile quam somnum.* Georgius Leontinus ad finem vitæ spectans & bene senio confectus, cum adversa valetudine correptus paulatim in somnum laberetur, & quidam ex necessariis accedens invisendi causa, quomodo se haberet, quæreret, *sam*, inquit, *me somnus incipit fratri suo*, hoc est, *morti tradere.* Comparatio mortis & somni ista præcipue capita respectat. Primo somnus omnibus communis est. Non eum pellere curæ, non lætitiæ, non res adversæ, non secundæ possunt. Autumni tempore non omnium alterumq; folium decidit, cadunt universa. Non magis mirum est hominem mori, quam nasci. Et ea conditione nati omnes sumus, ut ad arbitrium summi Imperatoris hinc sit rursus emigrandum. Sphinx mors est, quam nemo homo solvit, ipsa cum dissolvat omnes. Adversus hostes alios munire nosmet possumus, contra mortem nulla valet custodia. Arria Cæcinnæ Patii uxor, attentius se custodientibus mortemq; amolituris dicebat: *Nihil agitis. Potestis efficere, ut malè moriar: ne moriar, non potestis.* In mundo maximum est hominum discrimen, in summo fastigio collocati alii, alii in obscuro igno

ignobiles jacent *Pallida mors a quo pede pulsat  
pauperum tabernas, Regumq; turres.* Memorabilis est Severi Imperatoris Vox: *Omnia sui  
& nihil expedit.* Idem Imperator moriturus  
urnam ad se deterri jussit, quam diu multumq;  
contemplatus, *Tu, inquit, virum capies, quem  
orbis terrarum non capit.* Deinde in facilitate  
consensus est. *Obrepi non intellecta senectus,* inquit  
Juvenalis. Idem de morte dicendum, *Nescit homo  
tempus suum, sicut nesciunt pisces qui capiuntur reti  
malo, & ut nesciunt aves, qua capiuntur laqueo: sic  
ut ista irretiuntur filii hominum tempore mali, quum  
irruit in eos repente.* Nemo observare temporis mo-  
mentū potest, quo ipsum ceperit somnus: nemo  
in somnum lapsus, quantum tempore dormiverit,  
evigilans novit: sic saepe, quos spes nostræ lon-  
giori destinarant vitæ, opinione citius abripiun-  
tur, & immaturam obeunt mortem, Si imma-  
tura dicenda est: ad mortem quippe maturi satis  
omnes ab initio vitæ sumus. Ex re & vero Poeta:

*Poma ut in arboribus, sic corpora nostra*

*Aut matura cadunt aut cito acerba ruunt,*

Præterea in quiete & securitate conspiratio est.  
Hic omnia turbis & periculis repleta. *Quid  
aliud in mundo, Cypriani verba sunt, quam pugna  
adversus Diabolum quotidie geritur? quam adversus  
jacula ejus & tela conflictationibus assiduis dimica-  
tur? Cum avaritia nobis, cum carnalibus vitis, cum*



illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est.  
Obsessa mens hominis & undiq; Diaboli infestatione  
vallata vix occurrit singulis, vix resistit, si avaritia  
prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est,  
succedit ambitio: ambitio contempta est, ira exasperat,  
inflat superbia, vinolentia inuitat, invidia concor-  
diam rumpit, amicitiam Zelus abscindit. Cogere  
maledicere, quod divina lex prohibet: compelleris ju-  
rare, quod non licet. Tot persecutiones animus quo-  
tidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat  
hic inter Diaboli gladios diu stare, cum magis concu-  
piscendum sit & ad Christum, subueniente velociter  
morte properare. Mortuos bella non terrent,  
non exactoris importunitas, non fitis, non fa-  
mes, non frigus, non æstus molestat, non cruciat  
seculi malignitas, non hæreses & schismata fati-  
gant, non perfidia & odia humana percellunt,  
non deniq; ullæ macerant calamitates & mise-  
riæ humanæ. Hinc fit, ut quos DEUS diligit è  
mundo quam celerrimè evocentur, & aggre-  
gentur ad patres suos, ut non videre cogantur  
oculis suis mala ista, quibus ingratus & efferus  
orbis punitur. Quomodo Josiæ Deus pro-  
mittit felicem ex hac vita abitum, ne oculi ipsi-  
us viderent totum istud malum, quod Deus in-  
ducturus erat contra urbem Hierosolymorum &  
universam Judæam. Deniq; consonantia est in  
spee vigilandi. Nemo tam somno sepultus est,  
quin

quin spes evigilandi reliqua sit. Pulchre Tertullianus: *Adspice ad ipsa exempla divina potestatis. Dies moritur in noctem & tenebris usquequaq; sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigrator. Sordent, silent, stupent cuncta, ubiq; institutum est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra & tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras, hares sibi nec existens, donec & nos reviviscat cum suo & illa suggestu. Redaccenduntur enim & stellarum radii, quos matutina succensio extinxerat. Reducuntur siderum absentia, quas temporalis distinctio exemerat. Redornantur & specula Luna, qua mensuratus numerus attriverat. Revolvuntur hiemes & astates & verna & autumnia cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terra de caelo disciplina est, arbores vestire post spolia, flores denovo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem, qua absunta sint semina: nec prius exhibere quam absunta. Mira ratio: de fraudatrice servatrix. Ut reddat, intercipit: ut custodiat, perdit: ut integret, vitiat: ut etiam ampliet, prius decoquit. Si quidem uberiora & cultiora restituit, quam exterminavit. Revera fenore interitu & injuria usura & lucro damno, semel dixerim, universa conditio recidiva est. Quodcumq; conveneris, fuit: quodcumq; miseris, nihil non iterum est. Omnia in statum re-*

deant, cum abeſcerint. Ideo finiuntur, ut fiant.  
Niſi deperit, niſi in ſalutem. Totus igitur hic or-  
do reſolubilis rerum teſtatio eſt reſurrectionis mor-  
tuorum. Hæc Tertullianus benè, præclare nec  
potuit melius. Hac ſpe vitam cum morte  
commutavit Puerulus ſvaviſſimus, cujus exe-  
quias hodie honoramus, Hieronimus Koſch. In  
tenera ætate mortis ſubjectus imperio eſt, citius  
opinionem & Parentum dilectiſſimorum voto  
dies ſuos implevit: cæterum turbis omnibus  
& miſeriis humanis feliciter exemptus cubat & re-  
quieſcit in pace, evigilaturus illo die, qui im-  
piis & contemptoribus promiſſionum Divina-  
rum terribilis. Ipsi autem & toti piorum cætui  
exoptatiſſimus futurus eſt. Et evigilaturus  
quidem eſt eodem corpore, quod quieti manda-  
vit, ſicut qui cubitum eunt, eodem corpore ma-  
nere ſurgunt. Piè Cyprianus: *Quemadmodum*  
*cæci quos curavit Dominus, iis dem ipſis quibus antea*  
*non videbant oculis, recipiebant viſionem, caligine*  
*à viſione tantum exterminata: ſervata autem ſub-*  
*ſtantia oculorum. Et quemadmodum Vidua Fi-*  
*lius & Lazarus, qui in monumento quartum habebat*  
*diem, in iis ipſis reſurrexerunt corporibus, in quibus &*  
*mortui fuerant. Ita Deus in reſuſcitatione noſtra*  
*corpora mortua ſuſcitabit, non nova creabit. Na-*  
*tus eſt Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum*  
*quingueſimo quinto, XXIII. Aprilis Patre*  
*Viro*

Viro Spectatissimo Dn. *Joachimo Koch*, Cive hujus  
Urbis & Cerevisario atq; Negotiatore primariae di-  
gnationis: Matre Foemina ornatissima & laudatis-  
sima *Anna Catharina Schöners*. Avum Paternum  
habuit Amplissimum Virum, Dn. *Joachimum Koch* /  
p. m. hujus Urbis Senatorem gravissimum: Aviam  
paternam Foeminam primariam *Sophiam Glingen*,  
beatae memoriae: Avum maternum, Virum excellen-  
tissimum & Experientissimum Dn. *Johannem Schö-  
nerum* Med. D. & quondam Professore ac Seni-  
orem Facultatis Medicæ in Academia Gryphisval-  
densi celeberrimum, S. R. M. Sveciæ militiae occiden-  
talis Pomeraniæ Medicum & Practicum Stralsun-  
densem felicissimum: Aviam Maternam Nobilissi-  
mam foeminam *Catharinam Ersteins*: Proavos Pa-  
ternos Virum Prudentissimum Dn. *Christianum Koch*,  
Civitatis Güstroviensis Senatorem, cujus conjux fuit  
*Margaretha Donsteins*: & Virum Amplissimum atque  
Excellentissimum, *Bartholomæum Gling*, Ictum &  
hujus Academiae Professore inchtum, cujus con-  
jux fuit *Margaretha Krons*, foeminae natalibus & vir-  
tute splendidissima: Proavos Maternos Virum Expe-  
rientissimum & Amplissimum Dn. *Johannem Schö-  
nerum*, S. Reg Maj Angliæ Personæ Medicum floren-  
tissimum, cujus conjux fuit *Lucretia Beythou*: & Vi-  
rum Nobilissimum *Walter Erstein*, Negotiatorem  
Gryphisvaldensem, cujus conjux fuit *Anna Sorah*.  
Ex hac ortum familia præclarissima Parentes dile-  
ctissimi Christo Servatori per lavacrum baptismi re-  
gignen-


gignendum obtulerunt, & bonam quidem spem conceperant, futurum, ut hæc ipsa proles mascula olim in his terris gaudio esset. Sed aliter visum Deo est, cujus voluntate XI. Decemb. hujus anni piè placideq; in Domino obdormivit, postquam per decendium cum morbo conflictatus erat. Obdormivit dum dico, solatium porrigo mæstissimis parentibus, qui hoc tam acerbum funus deplorant. Non mortua est vestra proles, Parentes honoratissimi, sed data somno: Et quia somno data, data quieti, data securitati, data spei minimè fallaci gloriosæ resurrectionis. Non enim fallunt promissa divina. *Veniant cito tempora justa, Cum spem Deus impleat omnem!* Et venient illa quidem certò. Nostrum erit eo, quo par est, modo expectare Domini adventum. Veni Domine Jesu, & nos ab omnibus malis libera! Vos autem, Cives Academici omnium ordinum honoratissimi, officiosè & diligenter rogamus, ut in solatium mæstissimorum Parentum & memoriam clarissimarum familiarum corpuseulo, quod hodiè hora I. in dormitorium suum inferetur, supremum humanitatis Christianæ officium repræsentare & utramq; Reipub. Deo devotis precibus commendare velitis.

VIGILEMUS : CONSANGINEUS LETI  
SOPOR EST.

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus XV. Decemb.  
Anno M. DC. LVI.  
Conventus fiet in æde Jacobæo hora I.

☞(o)☞






GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK





quin spes evigilandi reliqua sit. Pulch  
anus: Adspice ad ipsa exempla divi  
Dies moritur in noctem & tenebris inq  
latur. Funestatur mundi honor, omnis  
demigrator. Sordent, silent, stupent  
institutum est, quies rerum. Ita lux a  
Et tamen rursus cum suo cultu, cum do  
dem & integra & tota universo orbi revo  
ciens mortem suam noctem, rescindens  
suam tenebras, hares sibi nec existens,  
reviviscat cum suo & illa suggestu. Red  
enim & stellarum radii, quos matutina  
tinxerat. Reducuntur siderum absen  
peralis distinctio exemerat. Redornat  
la Luna, qua mensuratus numerus attri  
vuntur hiemes & aestates & verna & a  
suis viribus, moribus, fructibus. Quip  
de caelo disciplina est, arbores vestire pos  
denovo colorare, herbas rursus imponi  
eadem, qua absunta sint semina: nec  
quam absunta. Mira ratio: de fra  
vatrix. Ut reddat, intercipit: ut custo  
integret, vitiat: ut etiam ampliet, priu  
quidem uberiora & cultiora restituit, qu  
navit. Revera fenore interitu & in  
lucro damno, semel dixerim, universa  
diva est. Quodcumq; conveneris, firi  
amiseris, nihil non iterum est. Omni

A 3



the scale towards document